

Wa
264



h. 70, 9.

21



L. 70, 9.

B. F.
DISSERTATIO I.
De
NUMMIS
SEREN. SAXONIAE
DUCUM,
qva
adaudiendam
ORATIONEM VALEDICTORIAM
de
MUTATIONE VESTIUM
In Schola Altenburgensi
VII. Eid. Febr. A. C. cl. lxxix.
memoriter habendam
MUSARUM FAUTORES
humanissime invitae
M. PAULUS MART. SAGITTARIUS,
Rector.

Altenburgi, Literis Richterianis





BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

L. C.

S.

SI Numismata convenienti e-
logio decoranda forent, *Historia fa-*
cem appellarem; Quod enim fax no-
ctu ambulaturis, id *Numismata* Hi-
storiae conferre solent. Hæc errore
Autorum & Amanuensium incuria
tenebris plusquam Cimmeriis invo-
luta jaceret, ni *Numismata*, splendidæ instar facis, ipsi af-
fulgerent, ut Gallus eruditissimus Carol. Patinus in intro-
ductione *Historica* ex notitia *Numismatum* Parisiis edi-
ta, pluribus exposuit. Qui Philippi Beroaldi, Philologi
celeberrimi, premet vestigia, elogium *Numismatibus*
datum vix ac ne vix quidem admittet; Is enim *vanas*
atq; *otiosas*, quæ *Numismatibus* exprimuntur, *rerum i-*
mages, veras contra & utiles, ex literis quæ petuntur,
statuit. Sed statuatur: Sua tamen *Numism.* constabit fides,
laus & autoritas, quippe quæ eisdem cum ipsis reb⁹ ha-
bent natales & singulari quadam attentione ac volunta-
te Superiorum in perennaturam rerum gestarum me-
moriæ sunt conflata. Hinc Hubert⁹ Goltzius, vir num-
mis

mis veterum eruendis aptus natus, accuratè, ut solet, judicasse videtur, quod *Historia ad fidem nummorum, non è diverso nummi ad illarum rationem debeant accommodari.* Intellexerat scilicet Vir Summus, quantum adjumenti *Numismata* in perlustrandis Historiarum monumentis adferant, & proinde in antiqua re nummaria summo studio verlatum esse constat. Eandem cum Goltzio calcarunt viam Viri supra cæterorum doctrinam positi Constantinus Landus, Adolphus Occo, Fulvius Ursinus, Carolus Crojus, Jacobus Biczæus, Abraham Gorlæus, Joh. Jac. Luckius, Levinus Hulsius, Marquardus Freherus, Franciscus Angelonus, Johannes Tristanus & paucos ante annos Carolus Patinus, qui in *nummis Græcorum* atque *Romanorum* colligendis, edendis ac Historiæ applicandis nullis sumtibus, labori nulli & molestiæ pepercerunt, ob id cælo tenus extollendi. Uti autem Græciæ & Italiæ de felicitantium Virorum conatu gratulor: ita *Germaniæ*, terrarum, ut audit, Reginæ fortem doleo, quod ejus cives monetas in Germania cusas frequenter quidem manibus terant: ast, qui æri incisas & explicatas tradat, nemo, quod ego scio, hactenus fuerit inventus, nisi forte exceperis alterum Germaniæ Plinium, Georgium *Agricolam*, Glaucha-Osterlandum in egregio de *põnderibus monetarum* libro, Johannem Matthesium in Sareptâ Conc. xiv. Marqv. Freherum l. II. de re monet. c. 2. & 3. & Jacobum *Mellenium*, Lubecensem, in eleganti de *nummis Germanicis Historiam Thuringicam præcipuè illustrantibus* Epistola

ad Cognatum conjunctissimum D. Caspar. Sagittarium,
Historiarum in Illustri Salana Prof. perscripta & Jenæ
anno elapso impressa. Quàm bene autem cum Germa-
niæ & Provinciarum, quas continet, Historia ageretur,
si plures id laboris expedirent! Multi, credo, jamdudum
expediissent: ast per negotiorum multitudinem & ma-
gnitudinem non licuit, neque copia *Numismatum* ci-
melia inspiciendi ipsis facta. Integrum effluxit sexen-
nium, ex quo conquirendis Germanorum nummis ope-
ram impendi, non ut carceri, captivorum more, inclu-
derem, sed ut duobus voluminibus, quorum alter *Exe-
quiales*, *Emblematicos* alter & *Memoriales* complecti-
tur, depingendos infererem, depictosque Patronis & A-
micis redderem, quibus etiam pro facilitate in commu-
nicando publicas persolvo grates, atque eadem studia
mea imposterum prosequantur, majorem in modum
rogo. Diffiteri autem nequeo, me pictis istis nummis mi-
rifice esse delectatum & sæpius velut stimulo quodam
incitatum, ut de iis, & præsertim *Saxonis*, pauca com-
mentarer. Repressi aliquoties impetum forsitan non
reprehendendum, ingenii, quod sentio, quàm sit exigu-
um, probe conscius & à præsidis ad ejusmodi negoti-
um facientibus imparatus. Penitus tamen suppressere
non potui, *nummorum*, quos Serenissima *Domus Saxo-
nica* signari curavit, bonitate, antiquitate & raritate mo-
tus. Quantum igitur mihi in pulvere Scholastico de-
sudanti innotuit, in præsentibus, &, quæ cum Deo sequen-
tur, pagellas conjicere, meo sedet animo. Si conjectu-
ris

ris fallam aut quædam omittam, quoniam in L. B. me fallentem moneas, ignarum instruas & plures nummos suggeras, non recuso.

Nummos *Bracteatos* ex argento puro & tenui ante conflatos, quam ratio metalla argento miscendi ex Italia in Germaniam transfret, hinc non attendam, peculiari dissertationi eosdem reservaturus: nec *Solidos Naumburgenses* attingam, quales Gothofredus, Monachorum in Portensi Cœnobio Nosocomus, Colonis Tuschvizensibus A. 1268. exsolvit, ut videre est apud M. Justinum Bertuchium, ejusdem Cœnobii Rectorem, in Chronico Portensi l. l. c. 3. p. 113. aut *Denarios Eisenbergenses*, quorum duo talenta *Fridericus Admorsus* Monasterio laudato muneris loco exhibuisse dicitur eidem Bertuchio l. l. c. 2. p. 59. Sic & *Denarios Solidosque Altenburgenses* non adducam, quorum *Heinricus Illustris* in diplomate Oppido nostro A. 1256. 3. Dec. dato & à *Friderico Strenuo* & *Balthasare Rochlitii* A. 1356. die Mercurii post Jacobi iisdem verbis repetito, mentionem injicit, ubi de illorum pretio adhuc notetur, quod versio diplomatis *Friderici* & *Balthasaris* Germanica, literæque *Ernesti* & *Alberti* Lipsiæ die Veneris post Michaelis Festum A. 1470. scriptæ *Denarium* & *Solidum* voce *Pfennig* exprimant, & *novendecim Solidos* (*Pfennige*) *Marcam* valore æquare asserant; Num enim ad bracteatum aut solidam monetam referendi, me adhuc latet, cum nullum eorum videre mihi hactenus contigerit. Solidam ergo ex auro, argento atque cupro confectam con-

templabor, initio à minimo nummorum Saxoniorum genere sumto, quod Romanorum Lingva est *Sextans*, Germanica ein *Heller*. Hujusduæ occurrunt species, *argentea* una, altera *cuprea*. *Sextans argenteus* in modum bracteati formatus & non nisi ab uno latere obtentivatem signatus signum *crucis* refert, & paulo infra *Rutam quinque trabibus inhaerentem*, gentilitium Ducum Saxoniae infigne, ex quo colligere in proclivi, post A. 1423. quo Electoralis Saxoniae Dignitas ad Marchiones Misniae in *Friderico Bellicoso* devoluta, fuisse percussum. Ejusmodi *Sextantem* una cum *Grosso* Misnenses ac Thuringi pro libertate lacticiinis utendi A. 1512. pependerunt, teste Laurentio Wilhelmo, in descriptione urbis Cygnae p. 208. *Cupreus* autem *Coburgi*, Franconiae montanae oppido, ab A. 1661. cudi coepit.

Progredior ad *Trientem*, (*Pfennig*/) quem non unum offendi. Antiquissimum judico illum, qui una in parte *Leonem erectum* & verba quaedam usu diuturno attrita exhibet: in altera vero *crucem* ornamentis quibusdam inclusam & sequentia in ambitu verba F-M A R.-TURIN. Cui autem debeat ortum, adhuc in ambiguo. *Fridericum tamen Bellicosum*, Septemvirali honore nondum conspicuum, ejus cudendiautorem extitisse, litera initialis F. & infigne indicare videtur. Denominationem quod spectat, *Penninum cruciatum* [*Greuz-Pfennig*] à *cruce* impressa salutatum fuisse, fidem faciunt *Grossi cruciati* [*Greuz-Groschen*] eadem crucis figura insigniti. Huic succedat *Leoninus* (*Löwen-Pfennig*) à *Leone* trabi-

trabibus innitente nomen habens cuiusque ab *Ernesto*
& *Alberto* Fratribus. Ejus meminit *Georgius Fabriti-*
us l. VII. Orig. Sax. f. 790. quod duodecim novem anti-
quis pretio sint pares. Hodie *Semissi* æstimatur. Post
Leoninum Fridericus Sapiens, Johannes & Geor-
gius A. 1512. *Rutaceum* (*Kauten-Pfennig*) cudi curarunt,
attestante *Wilhelmo* l. c. Majores secuti sunt *Johannes*
Fridericus I. Mauritius & Johannes Ernestus, *Pennin-*
gum A. 1541. cudentes, in cujus una facie: A. 1541. & infra
gladii & ruta. Mentionem ejus fieri in edicto *mone-*
tario legi, quod *Principes* nominati *Torgaviae* die *Mi-*
chaelis A. 1541. promulgarunt. Trientem quoque signari
voluerunt *Johannes Georgius I. & II. Electores Saxoniae,*
Wilhelmus IV. & Sereniss. noster Fridericus, in cujus
Penningo hæc verba conspiciuntur: *Godt gibts / Je-*
sus erwirbts / der Glaube nimts.

Trientem excipiat *Bes* sive *Binarius* [*Zweyer*] à *Wil-*
helmo IV. ternarii valore & optimo Patriæ Patre *Frider-*
rico percussus. Illius *Binarius* vulgari sermone *Weyma-*
rischer Zweyer nominatur: hujus vero eadem, quæ *Tri-*
ens, continet verba.

Seqvatur *As*, decima apud Romanos *Denarii*
pars, nobis *Dreyer* / cuius species omnes hic locorum re-
censere, operæ pretium non esse videtur. Potiores tan-
tum afferam & quidem *Assem gladiatum*, vulgo
Schwerd-Dreyer à decussatis gladiis ab una parte com-
parentibus, supra quos numerus Romanus X. nota *De-*
narii, ut *Matthesius* in *Sar. Conc. XIV. f. 178.* annotavit;
Decem

Decem enim Asles Denarium constituunt. Altera pars
Rutam ostendit. Sub *Ernesto & Alberto* cusum esse
antiquitas & latitudo non obscure indicat. Huc quoque
referri meretur *As Johannis Friderici I.* in cujus unâ fa-
cie: A. 1534. & *gladii Electorales*: in altera *Ruta*: nec non
Georgii, cujus mandato A. 1528. percussus; ut *Jenif. Ann.*
Anneberg. p. 19. tradit.

Ut finem scribendo faciam, angustum pagellarum
spatium imperat. Faciam vero, si conatum cujusdam
ex Scholæ nostræ Alumnis prius exposuero. Nempe
JOHANNES HEINRICUS Kühn/Senfftenbergensis,
eximiae indolis optimæque spei Juvenis, Viri Amplissimi
atque Experientissimi Dn. JOH. KUHNII, Medicinæ a-
pud Dobelenses Practici felicissimi, mem. beat. filius
natum major, Oratiunculam de Vestium Mutatione con-
scripsit, ut vires suas in Lyceo nostro, cui ultimum vale
dicet, periclitaretur. Quid ipsius valeant humeri, jam
sciunt Præceptores, norunt condiscipuli. Quo vero rei
literariæ Fautores id intelligant, ejus vel maxime interest.
Accedite proinde, qui bonis literis ingeniisque favetis, &
Kühnium vires in dicendo hor. II. pomer. diei crastini
tentantem benevoli audite. Sic abiturientem ejusq; Co-
gnatos vobis devincietis, & qui ipsi surgent gratulatum,
alacriores multo reddetis. Surgent autem

JOH. Sancthändel/Altkirchensis, *Ebraeo,*

SAL. AUGUSTUS Clauder/Altenb. *Græco,*

CHRISTIAN. WILHELMI, Rochlic. *Latino,*

JOH. ZACHAR. Korb/Ponicensis, *Germanico, &*

JOH. FRID. Freieleben/Orlam. *Gallico*

sermone, eoque ligato, officio vovendi defuncturi, Valete! PP.

Altenb. VIII, Eid, Febr. A. C. cl. lxxi X.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

luta jacer
fulgerent
ductione
ta, plurib
celeberri
datum v
atq; otio
magines
statuit. S
laus & a
bent nat
te Super
morian

onvenienti e-
rent, *Historia fa-*
vod enim fax no-
Numismata Hi-
ent. Hæc errore
nuensium incuria
Cimmeriis invo-
instar facis, ipsi af-
l. Patinus in intro-
atum Parisiis edi-
beroaldi, Philologi
Numismatibus
et; Is enim *vanas*
muntur, *rerum i-*
eris quæ petuntur,
m. constabit fides,
n cum ipsis reb⁹ ha-
ntione ac volunta-
um gestarum me-
Goltzius, vir num-
mis

